factam *ex vespera & mane dicit* DIEM primam. Qui *diem* itaque dicit apud Hebraeos, nihil aliud dicit, quam qui dicit *noctem & diem*. Quique ad TERTIAM aliquid ait durasse *diem*, sensu ab eo non differt, qui *tres noctes & tres dies* illud durasse ait. Quemadmodum versa vice: qui *tres dies* & *tres noctes* dicit, dissentanea ab eo non loquitur, qui *tres dies* commemorat, quoniam *diem* intelligit *ciuilem*, qui ex nocte in diem producitur, vsque ad sequentis noctis initium; per huiusmodi enim *dies* tempora sua Iudaei computabant. Et certe quemadmodum יום complectens *vesperam & diem* in tempore notando adhibetur, ita diserte hac ratione explicatur a Daniele Propheta, ubi ימים *dies* memorantur ער ערב בקר *vesperae & lucis coniunctione* existentes. Sic igitur יום Hebraeis, & ἡμέρα Hebraizantibus Judaeis νυχθήμερον est, quod עונה magistris Judaeorum recentioribus in Thalmude vocatur: & τρεῖς νύκτες καὶ τρεῖς ἡμέραι, itidem nihil aliud sunt, quam tria νυχθήμερα, siue dies Hebraeorum ciuiles. Sic expeditum iam erit soluere nodum: nempe tria νυχθήμερα dicitur in sepulcro fuisse Christus. Neque adeo τρεῖς ἡμέραι, καὶ τρεῖς νύκτες in *sensu diuiso* sunt accipiendae, quasi *tres dies* distincte, totidemque *noctes* in sepulcro exegerit, sed in sensu *composito*; ut scilicet id, quod ex die nocteque coniungitur, tempus, quodque *dies* vno nomine alias appellatur, hic intelligatur. Iam porro tria νυχθήμερα *inventre terrae* siue sepulcro fuisse dici potest, qui partem νυχθημέρου primi & vltimi in eo fuit, eodem modo, quo tertia die dicitur resuscitatus, qui prima illarum dierum ad finem iam vergente mortem

Gen. I. 5.

Dan. IIX. 14. 26.

vid. Lightfoot. Hor. Thalm. ad Matth. XII. 40.